





2b. 15





3. b. 3

RECTOR  
ACADEMIÆ FRANCOFUR-  
TANÆ  
MATTHÆUS

COLDEBACIUS,  
J. U. Doctor & Professor Publicus

*funus,*  
quod  
*ad XI. Kal. April.*

HEDVVIGI *Jüllerin* /  
Virtutum muliebrium orna-

mentis maximè conspicuæ  
foeminæ plusquam sexagenariæ,  
matri desideratissimæ  
*honorificè ducturus est*

*Clarissimus & Consultiss. Vir*

DN. DONATUS *Jäger* V. J. D.

Dicasterii Electoralis Custrinensis

Advocatus Ordinarius


*Cum Fratre, Sorore & reliquis Propinquis  
superstitibus,*

Civibus Reipubl. Literariæ Universis  
humaniter indicit.

LITERIS HARTMANNIANIS.

M. DC. XXI





*Itam hominis, qua ab Hieropsal-  
te Regio laboris & doloris plena  
describitur, à Salomone ad exiguum  
& radiolum vitæ nostræ tempus  
refertur; ante verò utrumq; à Patri-  
archa Jacobo ad dies paucos & ma-  
los redigitur: scit à admodū & polita  
imagine Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus in lib. limis  
litudinum contulit cum molendino, annonam continente,  
farinam parante; totaq; die à diluculo ad vesperam usq; la-  
borante. Sicut enim mola frumentaria continuè circum-  
voluta ad eundem temper locum revertitur: ita, ex men-  
te Anselmi, homo quilibet, simul ac vitæ hujus diluculum  
aspicit, quasi molere h. e. in labore & contentione vivere  
incipit, eandemque molestiæ orbitam terere tam diu co-  
gitur, quoad ingruens mortis crepusculum rotam ac  
motum sistat & januam ad quietem aperiat. *Quæ alle-  
gorica suavitas in jucundam etiam nos deducet meditatio-  
nem, si in presentia cognomen consideraverimus, quod  
matronæ, ad cujus exsequias cœtum literarium pro tempore  
invitamus, hereditario jure annatum quasi & impositum  
est. Hæc etenim ex calamitatibus suis in vitæ humanæ de-  
scriptionem delapsa, non modò insignem patientissimi Jobi  
consolationem per totum vitæ tempus sibi fecit propriam,  
qua homo de muliere natus, brevi vivens tempore, mul-  
tis miseriis repletus, depingitur: Sed etiam molitricis aut  
potius**



potius molitoris Christiani naturam, vivis quasi coloribus  
expressit, eaq; ipsa posteritati nostrae ideam integritatis, se-  
dulitatis & æquanimittatis reliquit. Sicut enim molitor stu-  
dere debet integritati, ut justo modio & pondere farinam di-  
stribuat; sedulitati, ut summo conatu molendinum regat; &  
æquanimittati, ut annonæ caritatem patienter ferat: ita  
Eadē in toto natura curriculo sese præbuit vitæ integrā, la-  
bore sedulā, in rebus adversis simul & secundis æquanimem.  
Integritatem sanè coluit, quæ Deo se pura & sincera fide de-  
vinxit, proximo verò quæ communicavit, ea justā & legiti-  
ma mensura tribuit, ex monito Deuteronomii, Christiano  
homini præscripto: Non habebis in sacco diversa pon-  
dera majus & minus; nec erit in domo tua modius ma-  
jor & minor: Pondus habebis justum & verum & mo-  
dius æqualis & verus erit tibi. Sedulitatem exercuit, quæ  
hujus mundi molam non est aversata, sed labores varios  
ante conjugium ut virgo, in conjugio ut uxor, post conjugii-  
um ut vidua lubentissimè sustinuit, juxta regulam Aposto-  
li: Estote sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, &  
Domino servientes. Aut, ut alibi: Operam date, ut quie-  
ti sitis, & ut vestrum negotium agatis & operemini ma-  
nibus vestris. Æquanimittatem deniq; imitata est, quæ in  
rerum secundarum caritate, adversarumq; varietate non  
ilicò animum abjecit, sed in omnibus vitæ actionibus Divini  
Numinis providentiam respexit, ejusq; benedictionem ex  
alto benignè profluentem devotè speravit, aphorismo Jaco-  
bi in-



bi informata. Patientes estote usque ad adventum Do-  
mini. Ecce agricola expectat preciosum fructum ter-  
ra: patienter terens, donec accipiat temporaneum &  
terotinum. Describimus ita HEDVIGIM Müller-  
rin/ vel potius ita depingimus virtutes istius matronae, quae  
sexaginta quatuor annos integros & tres menses, unumq;  
diem, in hac laboris mundani mola nobiscum laudabiliter  
vixit & conversata est. Nata enim Anno M. D. L VII.  
ipsa Dominica Reminiscere, in Vintzigio Silesiorum urbe,  
à parentibus honestissimis VALENTINO Müller/ Viro  
integerrimo, Consule ibidem spectatissimo & prudentissimo;  
& HEDVIGI Zoschtwitzin/ nobilis pro sapia foemina,  
filia verò Nob. & amplissimi Dn. JOANNIS de Zoschte-  
witzen/ hereditarii in Großwanger: cujus feudum, nullo  
relictò Nomini & Bonorum successore, ad Augustissimos  
Silesiae Principes & Duces LIGIO-BREGENSES, eo-  
rumq; domum illustrissimam rediit. Hanc cum aliis octo  
filiabus partu genuere felici Parentes, & ex iis HEDVIGI-  
GIM potissimum novem annorum puellam, in Coenobium  
Trebniciense, ubi virginalis continentiae & pietatis exem-  
pla coràm intueretur, dimiserunt, nec non disciplina nobilis  
virginis, Margaritæ de Pittwitzin honorificè commiserunt.  
Huius ductu & auspiciis initiata virtuti, à voluptatibus il-  
licitis non solum abstinuit, sed ne cognovit quidem quales  
essent illicitæ: atq; adeò ad vitæ candorem, sanctimoniam,  
& muliebris curæ studia tam liberaliter informata est, ut  
Anno



Anno et aetate XVIII. in matrimonium eligeretur & duce-  
retur ab integerrimo & spectatissimo viro Dn. DONATO  
Zögern/ Negotiorum Salinarum Sacr. Caesar. Majest. in  
hac urbe Praefecto industrio: quo cum admirabili concordia  
annos transegit octodecim, illius memoriam tanquam Ar-  
temisia altera imis imbibens visceribus. Foecundum verò  
illi erat à benedictione Divina conjugium, ita ut octo libero-  
rum mater existeret; quorum quinq; DONATUM & LU-  
CAM primogenitos, ANNAM, HEDVIGIM &  
MARGARITAM, modò in prima, modò in media aetate,  
vario morborum genere extinctos DEO, à quo acceperat,  
ante se tradidit: tres verò in hac terra reliquit, LUCAM  
civilis negotiationis Virum, DONATUM Juris Utriusq;  
Doctorem & Electoralis Dicasterii Custrinensis Advocatum  
Ordinarium, & HEDVIGIM, Dn. MELCHIORIS  
Zeschen/ relictam viduam. In ipso conjugio semper dedit  
operam, ne ab uxoris probae & matris familias industria of-  
ficio, vel latum, quod ajunt, unguem recederet, sed mari-  
tum amavit unice & ardentè, sobolem superstitem educa-  
vit piè & fideliter, familiam curavit provide & gnarviter.  
Mortuo autem marito unice se sponso caelesti submisit, qui  
eandem etiam in tutelam & curam benignissimam suscepit,  
ac ne maleferiarum aut impiorum hominum insultibus op-  
primeretur, ipse sedulo precavit. Nam ut maximè inter-  
dum curarum, morborum & tentationum molendino afflic-  
ta, ex Salomonis Cantico exclamare didicerit: Indica mi-  
hi,



hi, & quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, in medio curarum ac mœrorum æstu: mox tamen fidei axim apprehendit, & refectâ Divini Spiritus aura respiravit, sibi que præsentem Deum experta est, à quo desertam se esse autumabat. Ac tota in eo fuit, ut hoc iterum nobis de suis jucunditatibus largiatur Anselmus, ne pectoris sui moletrinam reperiret vacuum insidiator & hostis hominum perpetuus diabolus, eamque vel superbiæ lapidibus injectis dissiparet, vel avaritiæ plumbo conglutinet, vel impietatis stercore fœdaret & vanitatis palea eluderet: sed annonam sibi divinitus commissam ita moleret, ut farina inde egrederetur munda, utilis hominibus, DE Ograta. Ut igitur varia mundarum farinarum genera spirituali nostræ MOLITRICI Divina indulset benignitas: ita Eadē, quæ largam manu accepit, hilarifronte aliis distribuit. Unde etiam ante simul & post obitum mariti I P S A farinam caritatis liberos, benignitatis egentes, sedulitatis agrotantes, facilitatis domesticos, comitatus omnes liberalissimè pavit, educavit, juvit & promovit. Quod vitæ institutum dum acriter & alacriter urget, & inter hospites nundinales ipso die natali moratur: ecce inter curas domesticas inopinati tumultus in proprio hospitio excitantur, è quibus matrona ætate grandior stupescit, in imbecillitatem primò, deinde in morbum delabitur, tandem calore febrili corripitur: qui postea nunquam intermittens tantas vires indies acquisivit, ut licet iis fidelissima



lissima Medicorum cura summo studio & industria sese  
opponeret, morbumque pellerere conaretur, frustra ta-  
men omnem laborem impenderint. Inde factum, ut  
patientia singulari dolores, quos secum ille calor attus-  
lerat, sustinuerit, nec quicquam habuerit potius, quã ut  
meditationibus precibusque aures linguamque concede-  
ret, ad iter vitæ ultimum sese componeret & extre-  
mum vale verbis vultuque astantibus diceret. Ani-  
mam enim decimo nono Martis, postquam decumbere  
ceperat, die, qui erat ab hoc die, quartus circa horam  
quintam matutinam emisit, prius tamẽ salutari corporis  
& sanguinis CHRISTI viatico devotè sumto ad in-  
stantem vitæ humanæ discessum se preparavit, nec non  
filiis ac propinquis presentibus inter preces & suspiria  
piè & placide in CHRISTO obdormivit. Atque  
ita vitæ hujus saturatus, nunc vescitur panibus non carnis,  
sed Spiritus; non humanitatis, sed divinitatis; non  
infirmiatis, sed sanitatis; de quibus aurea apud Lu-  
cam extat regula: Beatus, qui edit panem in regno  
DEI. Qua de re aut huic non absimili accuratiùs  
cogitant, qui ad funeris hodierni exsequias animo  
& corpore faciles lubentesque accesserint: omnes verò,  
ut consuetã deductionis hora frequenti cœtu præsto  
sint, non solum constans defunctæ requirit pietas, &  
quæ nos eadem expectare jubet ab aliis humanitas: sed  
& filii DONATI, quem non ita pridem ad supremos  
Juris



*Juris honores deductum letabunda vidit mater, di-  
gnitas; imò vestra omnium, quicquid id est officii,  
flagitat mortalitas, & conversationis deniq, ad quam  
non sine vitæ integritate, precum sedulitate, omnium-  
que actionum æquanimitate anbelamus, jucunditas.  
Etenim hujus*

**PRINCIPIUM VITÆ DOLOR EST, DOLOR EXI-  
TUS INGENS,**

**ET MEDIUM LABOR EST. VIVERE QVIS  
CUPIAT?**

**NI SPES RESTARET MELIORIS PRÆVIA  
VITÆ:**

**PRÆ QVA NEC DOLOR EST, NEC LABOR  
ILLE, GRAVIS.**

**T. E.**



Ja 666



ULB Halle 3  
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.

5b-700

Von 7

MC









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



3.6. 3

T O R  
RANCOFUR-  
Æ  
HÆUS  
ACIUS,  
fessor Publicus

*April.*  
Gullerín /  
brium orna-  
conspicua  
n sexagenariae,  
tissimae  
urus est  
nsultiss. Vir  
Gager V. J. D.  
Custrinensis  
inarius  
eliquis Propinguis  
us,  
erariae Universis  
licit.

ANNIANIS.  
XL